...bus
...m Princeps

Buchowski Andr. Stanisl. Praesidium publicae felicitatis.

PRÆSIDIUM
PVBLICÆ FELICITATIS,
IN AUGUSTO SANGVINE,
MAXIMORVM PRINCIPVM,
AC
SPONSORVM,
SERENISSIMI
JACOBI,
POLONIARVM PRINCIPIS:
&
SERENISSIMÆ
ELISABETH,
PRINCIPIS ELECTORALIS NEOBURG:
COMITIS PALATINÆ RHENI, BAVARIÆ,
JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, &c. &c. DUCIS:
Ad FESTA NVPTIALIA,
Inter Solennes Orbis Europæi applausus,
VARSAVIÆ, CELEBRATA,
Luci publicæ
A
M. ANDREA STANISLAO BUCHOWSKI,
In Alma Vniversitate Cracoviensi,
Philosoph. Doctore, Collegij Novodvorsciani Dialectices Professore,
PRÆSENTATVM.
Anno Salutis, 1691.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



PræSIDIVM feLIX, hIC neXVs sangVInIs esto.

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS SPONSIS, JACOBO, Poloniarum PRINCIPI, & HEDVIGI ELISABETHÆ, Principi Electorali Neoburg: &c. &c. &c.

SI naturæ ac fortunæ argumenta, ad immortalem poſterorum fidem ſpectant; Vobis, SERENISSIMI PRINCIPES, æſtimatione generis humani, adeo avita ſunt decora; ut primæ, clementiam, alteri, auguſtam gloriam admirari contingat. Prima enim, dicere de Vobis, inter Epithalamica feſta, totiuſq; Orbis Europæi ſolenniſſimos applauſus permittit, altera, me, ore calamoq; attonitum facit; ut ſola re-

la recordatione auguſti Nominis Veſtri obmuteſcere debeam. Nullius quippe eſt tantum flumen ingenii, ut illos Faſces, quos in triumphalibus laureis integer colit orbis, ſuâ copiâ fandi attingere, aut deſcribere poſſit. Nec ego magnitudinem gloriæ Veſtræ, noſtris votis datam, in hac humili pagina ſcribere auderem utiq;, niſi ex genio clemẽtiæ Veſtræ, palàm conſtaret, quàm velitis ſalutem populi, Veſtra felicitate tueri. Dignemini igitur PRINCIPES GLORIOSISSIMI, Præſidium hoc, quod in Auguſto Sangvine Serenitatum Veſtrarum auguramur, ea benignitate intueri, quâ orbem integrum ſub tanto Nexu cingitis in glorioſum triumphum. Faxit DEVS O. M. ut Auguſtam Proſapiam Veſtram dilatet in ſalutem Gentium, Orbi Europæo in gloriam, ac Palladi Iagellonicæ in cultum perpetuum. Ita toto animo voveo.

SERENITATVM VESTRARVM,

Humillimus Servus,
M. ANDR: STANISL: BVCHOWSKI,
In Vniverſitate Crac: Profeſſor.

PRÆSIDIUM

PVBLICÆ FELICITATIS,

in Augusto Sanguine, ac meritorum gloria,

SERENISSIMI

POLONIARVM PRINCIPIS,

JACOBI,

CELEBRATUM,

PANEGYRIM I. COMPLECTENS.

MAjestas Vmbonis Martij, & nexus armaturæ illius, quam amor Gentis Sarmaticæ, & insitatæ prodigia virtutis circumstant, quãquam triumphantis areæ stupendum insigne sit: nobis tamen adeo gratus lætitiæ sonus, ac fulmen quoddam gaudiorum, inopinata felicitate obvenit; ut dubium sit, an plus gratiarumactionis pro triumphis, quibus orbem impleverat, an pro gaudijs, quibus humanum genus exhilarat referre debeamus. Non meo ô PRINCEPS de Tuo paludamento & Sago, sed Orbis communi sensu, sed ævi nostri constanti judicio, vicinarum quoq; gentium fide loquor; cùm tantam Serenissimorum REGUM ac PRINCIPUM Orbis, Unionem, contra Hellesponticam hydram novus assumas Hercules, cùm Patriæ Tuæ gloriam

ad invidiam perennantem robore vicino illuſtres ac
impleas, cùm Seriem ſolatiumq; tantorum in Orbe
triumphorum Auguſtam Bellonam Sereniſſimam
PRINCIPEM HEDVIGIM ELISABETHAM, in
noſtram gentem introducas. Ante Natalem CLY-
PEI Tui coronam, tot Regum auſpiciis, ipſa orbis nu-
mina, colles ac prodigia aſſurgere, & reboantis cum
murmure famæ, cum ignibus cælo minantibus glo-
riam mirari, novam lætitiæ faciem etiam longinquæ
gentes exponere, in quadam ſtatione hominum in-
cepêre. Omnes quidem nos diro quodam fato de-
tentos, & alium rerum progreſſum veluti ſomnia
meditantes, non una deterruit imaginatio, poſtquam
ſilentium applauſuum moleſta expectatione trutina-
remus, vel etiam ubi & alibi dubios quoſdam caſus,
& ad triſtitiam inclinatos rumores cogitaremus, i-
gnorantes, inſolitas rerum mutationes, auguſtos eſſe
eventus gaudiorum. Nunc autem cùm per aliquot
luſtra ſeculorum, Tuæ, iter ſtraverint gloriæ, rerum
præcedaneæ viciſſitudines, in hoc Regium SCUTUM
Tuum PRINCEPS, omnia, quæ eventus notaverat au-
guria, impetuoſo confluxu incurrêre, adeo; ut quid-
quid à Marte triumphale, à meritis perenne ac æter-
num fama deprædicat: hoc modo in genuinum ve-
niſſe nexum, & indiſſolubile vinculum omnis gloriæ
credatur præoccupâſſe. Ideo expectatis à mille an-
nis, orbem novis impleviſti gaudiis: ut & ſoles me-
liùs lucere & literatorum curæ libentiùs augeri ma-
lint, quàm antea, quòd Natalem CLYPEUM Tuum,
in ſecurum Lechiæ laborantis Præſidium porrigas
ſanguine & armis, & quòd Salutis publicæ, in tanto
rerum æſtu, coronidem, velis plus ultra promovere.
Nimirum ſuccedit jure merito, citra præconia voto-

rum attonita dilatandæ in immensum lætitiæ necessitas; & quis dubitat quin rigoroso seculorum tractu, gloriæ vetustate, maximo amoris in Rempub. pignore, exsurgat in exsuperantia tripudia, quandoquidem tantorum Principes armorum, hac ætate nostra contingit venerari.

At verò argumentum hoc præposteræ gloriæ judico, illam animi Tui majestatem, quâ eam gentem, Tibi in unionem assumpsisti, cui unus, idemq; inest Martius genius: inde omnem fortitudinem ampliatam dixerim; unde SCUTO Tuo, PRINCEPS, tot orbis Europæi numina insculpis, & tot gentium agmina firmas imperio. Quanta nunc de Te cogitantibus obveniant fandi desideria! præter vetera Imperatoriarum laudum munimenta, & vestigia, hic in ore omnium hæret assensus, etiam eorum, quorum loquela, invidiæ cibus est, quòd ipsa felicitas se Tuis submittat plantis, & quòd in majestatem imperii, plaudente populo, gloriam Tuam introducat. Eccur non inter Primores Christiani orbis, JOANNES III. Poloniarum REX potentissimus, Pater Patriæ nostræ, omnium scribentium ingenia, prætergressus Imperator, Nomen Tuum, tanta Principis curuli, dignum collocet? cur non paludamentum Tuum, Europa induat, hostili sanguine purpuratum? quod è Regia Majestate in rudimentum suscepisti Principum, quove ornatus, unus Orbi Universo documentum dedisti, Martialem inter strepitum armorum, posse Principes sub Clypeo educari. Cur non Te, Paternæ compendium gloriæ. deprędicet Senatus populusq; Lechicus? qui magnorum in Orbe Christiano, Authorem triumphorum, comite virtute & armis, Togâ Sagoque sequebaris.

 Adeo

Adeoq; tantorum operum, diem hunc memorem; ſi quod tale dici queat à nobis, quod Tuam deceat gloriam, timida præterire taciturnitate, & ſilentio votorum, etiam ad mandata contineri neſcientium, ſolvi metuente, celebrare, impium mihi videtur; pium tamen eſſe, magnitudinem rerum, quas geſſiſti, moderato ad verecundiam calamo circumſcribere.

Ergo ad inſolentiam efferveſcentis lætitiæ noſtræ, Tuâ Clementiâ opus habemus, ne ſilentii vulnere feriamur. In meæ quidem tenuitatis formidinem, culpa redundat: quòd geſtis immenſum Te, in Martiis campis, quos uno ictu CLYPEI Tui, ad adventum Tuum, triumphalibus impleviſti laureis, poſt ingenia multorum loqui velim; qui omnibus ſtupor es mentibus & admiratio. Gloriâ tamen hac, in publicam mirandi provinciam diffuſâ, imperante, vocem diei aſſumimus, & inter exundantium æſtus gaudiorum, vehementem affectum excutimus; ut Natale SCUTUM Tuum PRINCEPS, inter hæc ſolennia Hymenæorum feſta, ſi pro rei exigentia, ſatis venerari non poſſimus; inſtante pro tunc opere, vinctæ nos, cum lætitia, manubiæ, ante Te & illud, cum vocibus, cogitationibus, ſermonibus, & quocunq; gratulandi genere fruimur & gaudemus, rupto prorsùs eo in gaudia procidamus.

Poſt auguſta molimina rerum, quibus æternitatem exaratam habes, ut plus Bellator animus Tuus, orbi in adoream aſſurgeret; ultra nihil magnificentiùs pro eo, PRINCEPS agere potuiſti; quàm quòd Turres Leoneſq;, ad Tuos Martios collegeris Alites, Regaleq; SCUTUM. Non enim periculum eſt, ut cùm una gentium Palæſtra, Tibi ære calami, perennes erigat Coloſſos; altera eoſdem, alienæ gloriæ adſtruat: aut

quos

quos, meritorum, clariori, quàm Sol & ſidera lucem manifeſtant, populi acclamatione, unus Orbis inſculpat characteres; alter eoſdem, alienis laudibus legat pronuncietq́;: aut etiam quas factorum cælaturas ritè formidini & amori gentium exponimus; alibi non colant admiratione. Tam verum quippe eſt, Tibi ſubeſſe ô PRINCEPS, omnium gloriam mortalium, quam generoſus mentium ſudor, Deam poſterorum, cadentibus colit animis, & cœco impetu, plaudendi furore, aliorum ſtatuas imaginum in ruinam vertit, ut unus ſolummodo, quem populus laudat, reliquæ ætati temporum vivat: quàm verum eſt, Te, tot Principum unionem, unâ animi tantùm magnitudine, ad id, ut nos protegeres, gentemq́; noſtram, tot Procerum orbis adventu, famæ Tuæ excellentiâ, exhilarares, aſſumpſiſſe. Quod beneficiũ nobis, non alteri cuiquam terræ præſtitiſti; qui mores gentium, non ſcrutari tantùm, ſed & induere ſveti, utrumq́; genium portamus; ut in uno animo orbis totus conſideat: magis in Tuas laudes, ad illud, quod oculis, ore, animiſq́; attenti, & ad impetum faciendum ordinati expectamus, ſignum, ruamus. Et quidem rarum apud nos prodigium, tantorum Heroum, quos Deos Deaſq́; alienæ terræ, populi ad ſtrepitum clamantis opinione, credimus adveniſſe, noſtras inuſitato genere dicendi confundit vires; ut & ſtupere, ex tanta Numinum majeſtate, & lætari ex Tua tam vaſta gloriæ amplitudine, parato ad utrumque animo cogamur.

Quàm ægrè, quantoq́; animi cum vulnere populus, multorum preſſit deſideria, gravemq́;, optatione feſſus, ſuſtinuit ſolicitudinem; qualibus, Te, ad ſidera eveheret laudibus, cùm ſparſo per orbem, de

Te, rumori aſſentiret, novam imminere felicitatem. quam, dum ipſa fama, ſtimulante eam, Tuâ gloriâ, & amore Patriæ incitante, quæreret: diſſimulata quidē ſuſpiria prompto, futuri voti eventu, ſatiavit: exceſſum tamen clamoris, in virtutē cohibere, nullo potuit artis ſuffragio. quin ea auguria, quę opinio conſecuta eſt, palàm ac liberè omnibus decātaret. Mirum fuit aliunde etiam, Tui Dominium, & thronum gloriæ, Principes gentium petiiſſe, quarum pulchritudo Solium, & ſanguis majorum rubicundæ genæ fuêre: mihi tamen cum cæteris, idem manſit, ſemper obſtinati animi ſpiritus; ut plùs ſilentio, quàm vocibus multorum crederem, ratus Regium animum, nihil niſi maximum protendere poſſe. Adeo enim deſtinatum pro meritis Tuis, fama occluſit, abſconditq́;, Tuæ, pretium vitæ, ut cùm minus ſperaremus; fidem tamen tanti prodigii habentes, in maximum plauſum veniremus; tantòq́; ſolennem diem hunc, impetu acclamationum coleremus; quantò, ab ipſo felicitatis noſtræ beneficio, etiam ſine ordinis harmoniâ hodie incitamur. Tu verò tantorum PRINCEPS munerum, ac fortitudinis Tuæ æſtimatio maxima, Tuâ ipsâmet conſentiente potentiâ, nihil magis conſideraſti aut cognoviſti; quàm gloriam Tuam, altius ſemper aſſurgere, Regaleq́; SCUTUM Tuum, ipſi etiam fortunæ inobedienti, jam aliàs, triumphali operum Tuorum currui, ad juga loraq́; initiatæ eſſe formidandum.

Quid ergo animo Tuo, ad Regna nato, reſiduum fuit, aut quod ſupererat faſtigium gloriæ ſuperandum? præterquàm triumphanti, Nominis Tui famæ, plauſum CLYPEI Tui porrigere, & datæ, à

Supe-

Superis, PRINCIPI HEDVIGI ELISABETHÆ in triumphum virtutis Tuæ aſſurgenti, aſſociari.

Merebâre opinionem gentium, PRINCEPS, oraq; Regnorum, Tuæ æſtimationi nominis, quaſi ex condicto nimiùm perorantia habuiſti; antequàm Indolem Tuam, armis erudieras & ad illam purpuram efflorefcentis ætatis acceſſeras, quâ modò ad majeſtatem orbis effulges, Tuæ ſufficere potentiæ & gloriæ abundantiis, Potentiſſimi JOANNIS III. Tanti REGIS, Te Filium, cultui datum eſſe. Et quemadmodum turbam Doctorum, ad celſitudinem factorum Tuorum videndam, jam antea, immenſa ſpe meritorum, in ſtuporis vehementem affectum, in, dictu ſcriptuq; difficilem paginam incitâſti; ita & modo eos, qui characterem æternitatis, in monumenta gloriæ Tuæ tranſportare ſatagunt, imbecilles vides, cogiſq; fateri, plus ex Tua fama poſteritatem, quàm à literis ſcribentium aut reliquo intelligere poſſe fidem demonſtrante argumento.

Ante Te, PRINCEPS, ſtupore quodam ac metu, victi ſtamus, nec aliud quidquam, verecundâ mentis pupillâ concipimus, quàm auguſtam, Indolis Tuæ faciem, & ad imperandum natam, & ad clementiam compoſitam, ſuis, quibusvis, manere, æqualem dignitatibus. Tuus Martius ſpiritus, veluti fulmen in hoſtes paratum, temperamento Serenitatis, fortitudinem præſentat, ſimul ac manſvetudinem, terret uno intuitu ac lenit, eodem numero temporis punit, ac miſereri videtur: corroborat demum cogitationes omnium, fide certiſſima; ut hanc Tuam Speciem cœlo lapſam, nec digniorem, fortunæ eſſe, quam Regnis porrigeret;

præter eam, quàm Tu, à natura ad Solium gloriæ accepiſti. Ambulas inter Patriæ Proceres, & inter cultiſſima literatorum ingenia, prædicatio & delicium, omnium videns inclinatos animos, quorum tantò major felicitas eſt; quantò tempeſtivior mandatorum Tuorum gratia, ab ore Tuo ſuccedit. Elevas ô PRINCEPS, cadentes ante Te mortalium animos, magnitudine animi, nec deprimis multitudinem officiorum: quinimo moderatione pompæ, iis, quibus pedem porrigere debes; manu aut frontis ſerenæ geſtu, oſculum clementer exhibes. Neq; tamen dedignationem adſtantium, hac Tuæ clementiæ ſerie effingis; ut indignos præſentiâ Tuâ reſpuas; ſed ſilentem, ſed quietum reddis populum, ſtupore Tui, ut & cogitare quidpiam tale timeat; quod non majeſtate operum ſit comprobatum.

Sed, quid ego iſtud admiror, quod Tecum genitum eſt, cùm auguſtam Tuam Speciem & formam imperantis non tam fortunæ ſuffragio, quàm vectigali naturæ officio adſcribas, trahaſque ſimul auditionem Patriæ in fidem; quòd nullum conſultantibus relinquas dubium, cur naturale Tibi ſit clarere, tanta virtutum & formæ pulchritudine? Tuum eſt, quidquid à vulgo jactari, ſolitum, occupat pretium, & mirandi genus excedit. quidquid à throno & paludamento Regio progreditur in ſenus gaudiorum, aut quod intuentibus nobis ſuccedit in Tuæ, ſolium grandioris eminentiæ. Tuæ, id operum felicitati, datum eſt, quidquid, ſagatioribus affectibus in Te, ad cultum Patriæ loquimur: alienum à famâ, ſeu magnarum uſu laudum, aliunde tranſportatum nihil tale exprimimus; cùm il-

lam

Iam altiſſimæ gloriæ Tuæ propaginem hæreditariam habeas; quam carpere debent alii publicorum contextu negotiorum. In eam, PRINCEPS, felicitatis excellentiam ſucceſſum habes, quam, per dubiæ ſortis circulos, alii, ad hoc, ut in arduo rerum humanarum faſtigio, terræ mariq; jura dicant, quærere debent. Lucem unde Majeſtatis Tuæ, æquè ac fulgur virtutum palàm oſtendis, incedens tanto Nomine ſerenus; eodem ore auguſto legem condis; quo mandata divulgas: eo judicio clementiam aſſumis; quo juſtitiam decernis. Neq; enim tantum ſplendorem, authoramento præſentiæ occultas, aut raró orbi cōmunicas; ut dignius à raritate pretium poſſideas: quinimo ſæpe, Patriæ votis ac deſideriis appares Titan, plebiſq; Tuæ expectatione detentos animos exhilaras; ut ſic felicitatis opinione quilibet in Tua ſerenitate glorietur.

Prima veró Auguſti Sanguinis & meritorum Tuorum gloria eſt, ô PRINCEPS, Tuus & Patriæ Pater JOANNES III. REX noſter potentiſſimus. Quidquid enim animi magnitudine, ſapientis judicii teſtimonio, rerum geſtarum copià promeritum in Te depredicamus; hoc à tanto REGE, cōmunicatione Nominis & meritorum aſſumptum, PRINCEPS, habes. Præſidium felicitatis noſtræ, in tot auguſtis, Tanti REGIS operibus intuemur; Tuam veró Nominis ſeriem, dicere ab eo incipimus; qui plauſus Epithalamici magna vis; ac gloriæ Tuæ ſumma eſt æſtimatio. Propterea ad Te ſermonem convertimus, Robur & Prodigium orbis, Atlas in Septentrione, Orientis Victor & ſilentium, Victorum Triumphatorumq; Idea, Bellonæ vis & ſpiritus, Clypeus & Protectio Regnorum,

Agamemnone felicior, Hectore fortior INVICTISSIME ac POTENTISSIME JOANNES III. REX noster clementissime. Hæc Tua stupenda rerum prodigia, excessu mentis fidem excedentia, sua magnitudine, clara sunt, ut quæ nullo ingenii robore, pupillaq; mentis percipere, medius fidius poteramus, hodie inter tot Principum conventum, novâ fandi materia intueamur. Hodie, inter tot votorum plausus, aut immoderatum armorum tubarumq; clangorem obmutescere, etsi cogeretur, minime potest Tua Lechia, quam, ad occasum siderum, inclinatam, novo tot Serenissimorum Regum splendore oriri fecisti. Quippe operum Tuorum immensa moles, multitudine Victoriarum, promptitudine militandi, Asiæ totiq; Orienti in stuporem erecta, non facili studio, unoq; conspicitur intuitu, ante quam tot rerum portenta Græciæ, Bactra, Campus Pharsalicus augusti quondam Imperii basis, & ipsa famosa Alpium vulnera procidunt, fatenturq; nihil in bellorum natura reperiri; quod non Tuæ fortitudini submittatur. Frenasti barbararum gentium licentiam, domuisti insolentem Asiam, quem vidisti, moto Oriente, Bistonem, vicisti. Quid ultra Tuæ restat Majestati, nisi triumphum agere, & populum, cui imperas, in Epithalamicum tantorum orbis Principum, introducere plausum. Tuæ enim clementiæ est, nobis vitam partiri, & quâ vincis hostem dexterâ, eâ & nos in gaudendi campum ordinare. SCUTUM Tuum ô REX præsidium & dulce decus est, augustius illo præsagio Tullii, quo sub aureâ cathena Octavius in Capitolium demittebatur. Triumphus es, ô REX, hostium confessione probatus, qui Tanais

fluen-

fluenta, Borifthenis ripam, Pontum, Meoticam, paludem, Neptunumq; Sarmaticum, purpuratis hoftium vicibus & armis prodigiofum fecifti, qui Arcton, Orientemq; totum, ftupore, filentio, ac livore implevifti. Timor orbis, es & amor, omnium gentium judicio & cognitione probatus, imperas majeftate corporis & magnitudine meritorum, pompæ cujufcunq; molem excedens, major & dignior illo, qui minor, fuo nomine videbatur, nifi Iovis filius audiretur. Tuâ gloriâ ô REX, major, virtute martia, non felicitate fortunæ, fummum faftigium attigifti. Inferiora reliqua funt, quæ nec magnitudine rerum, nec geftorum comparatione, nec felicitate temporum, gradui Tui Nominis affimilari poffunt. Et verò hæc ipfa hodiernorum feculorum tripudia, tot victoriarum, digna veftigia, cum cogitationibus noftris affurgunt, opinando, nihil tale proferri poffe, ab ipfamet Prædeceflorum propagine, quale, Tuo Nomini, par fit bellico argumento. Parùm Tuæ Majeftati funt, ô REX! honor & poteftas, quæ humanam excedere quidem videntur proportionem; ejus tamen poffeffioni data, fi non optarentur, minùs probati documenti, jura & honores effe crederentur. Regimur pacificè bellorum gloriam, non impetum trutinantes. Tuis mandatis Regiis, colla ac ingenia fubiicimus, felicitatem, non ætatem penfantes. Loquimur Te ac miramur, non tamen definimus, nifi nos pudor mentis, aut imbecillitatis cognitio perftringat. Quid enim vocalis, Tuo fieri Nomini debeat, humi ferpens animus, qui faftigium eius, mente attingere haud poteft. nec decet aliud multorum facundiam Orato-

rum, niſi ſilentium, ipſo Orbe tot maximorum ore Heroum perorante. Sed & hic inſolenti in laudem calamo, ſtudium ac laborantis ingenii conatum prorogas, ubi rebus humanis, ſolennem diem hunc ſtare facias, & manſuræ, in ſecula famæ, plauſum geminas, populo in triumphum exſurgente. Auguſta quippe aſſertio Tuæ Majeſtatis, & hæc ipſa Tui Nominis formido robore naturæ, ac centum ſplendoribus clara, omnem Europeæ gentis propaginem exhilarat, quòd Auguſtum hoc Epithalamium ſumo gloriæ genere concludat. non enim extra Te conſilium noſtræ felicitatis eſt: nã benè conveniunt, & in una ſede morantur plauſus populi & triumphus Tuus. Quo ergo eloquii apparatu, quo oris obſequio, temporum intueri imperas felicitatem, quæ rebus humanis ſeculum hoc, continuatis una ſerie tot Familiarum ſplendoribus, nobis videtur impetrâſſe. Quidquid enim honorum, & ſplendoris auguſti, per orbem, quidquid de barbarico faſtu triumphorum, hilari recenſetur famæ penſo; id Tuis victricibus lauris annexum, ſplendoribus contiguum, Victoriis unitum, perennaturæ ætati affertur acceptum. Vereor ut hoc, quod dicere inſtituo, non perinde Tuæ Majeſtati cedat, quaſi calamum oratoris, Tuæ potentiæ, non reliquis Heroicis virtutibus, intelligas vectigalem, aut primam Tuam gloriam, ſuo ſatis Nomine cognitam, ex hac humili, & non integra, ſacrarum laudum Tuarum pagina cognoſcas. Nam ſicuti humi proſtrati mortalium animi, Tuisq; pedibus provoluta ora, non ideò fimbriam paludamenti Tui tangere cupiunt; ut Te amplexibus comprehendant: ita & benè perpolitæ fron-

ti, Tibi, provolutæ ſatis permiſeris; ſi eandem re-am, ac tenuitatis ſuæ conſciam, inter manubias Tu-as deſtinaveris. Unus enim in orbe terrarum es, quem ſingula ingenia laudare cupiunt, qui omni-um Regum noſtrorum geſta, ſtupendis prodigiis complecteris. & quod aliis, Bellona dedit ad ſtu-porem, hoc Tibi in Majeſtatem poſuit; ut ea om-nia, quæ cathenato amoris officio in aliis legimus; in Te effuſâ, in gaudia panegyri eloqueremur. Quanquam ſilentii cautione digitoq; ad labellum, ea mirari malim opera, in quæ ipſa poſteritas, ſuo ſatis nomine vocalis ſuccedit glorioſa coronis.

Poſt auguſtam, Magni Parentis Tui gloriam, PRINCEPS, alterum, à primo exultantis Lechiæ or-tu, exoptatum felicitatis noſtræ augurium eſt, hæc auguſti Sanguinis Unio, omnem Majeſtatem Re-gnorum, famæ pretio attingens, vaticinaturq; orbi univerſo fauſtum bonum. Etenim hæ trabeæ, & faſces, & ſellæ & hæc obſequiorum ſtipatio, & fulgur, & hodierna lux diei, adeo, Nominis Tui digna ornamenta ſunt, ut non unam incitent vo-cem, cogitationeſq;, reſponſa, quærentes; quàm auguſtum imperium Tuum, orbi ſit futurum, & quem gradum laudationis, in tam expanſo, rerum agmine, aſſumere debeant illi, qui geſtis Tuis, mul-toties ingenia & colla ſupponere, incepêre. Gen-tium unde vices, regnorumq; fata, aut conquaſſa-ta, impetitaq;, ruinis terrarum fulcra, quæ Tuis ar-mis inclinabantur, aliud nihil protendebant, quàm tantam Majeſtatem, ad altum, gloriæ Tuæ decus, natam fuiſſe, & non aliter, acſi Aquilam, magnis ſemper culminibus inſidentem, ſolâ æſtimatione ſuâ imperare: aut ſicuti gemmam Diademati in-

tex tam, oculos mortalium ad fulgorem acuentem solo pretio, rebus omnibus anteponi dignumq; fieri orbis monile. Tantam felicitatem temporis, quam, Tuis meritis, PRINCEPS, acquisitam habes, si hactenus cognitione famæ totus mirabatur orbis; nunc vehementi cultu prosequitur, simul ac ea auguria divulgat, quæ, longæ moræ tormento detenta, solo dictamine mentis intuebatur. Exhilarâsti ingenia, novo votorum sensu, postquàm illam Tui Nominis gloriam, quam jam antea miraretur Europa, novis auspiciis coronares. ubi famã illam, cui læta præsagia iam antea gentes decantabant, in tanto sanguine ampliares. ubi voces, ingeniorumq; characteres, Tuis meritis vectigales conscriberes. Quid ultra dicere iubes? aut quam laudis materiam assumere demandas; cùm studiũ Oratorum, æquè ut & orbem compendiatum agnoscis. nam eæ Provinciæ, quibus Nomen Tuum cõmunicas, ante scribentium conatus in eloquium assurgere gestiunt; Tu verò maiorem gratiarum actionem ex orbe, quàm nostris votis intelligis; vel ideo, quod merita Tua, ab orbe Europæo iam antea æstimari, vehementiùs percipias. Enimverò, quam hactenus famæ seriem, in tam vasto Victoriarum agmine, divisam, in Duces, milites, loci commoditatem, gentes vicinas, ac reliquum belli apparatum habuisti; hodie, Tuæ, nisi operum relationi datam intueris; felicitatemq; ætatis nostræ in Tuo demũ alto animo consedisse decernis.

Orbem, si spectare velimus, in Tuis armis, PRINCEPS, augusto sanguine circumscriptum habemus, eaq; audimus, Tuæ compendia gloriæ, quæ antea, tot jura Regnorum, suis inscripsère fasti-

giis.

giis. Summos enim poteſtatis apices, ceu polos ſuis cum cardinibus enitentes, ambitum omnium gentium, terrâ mariq; diffuſas ampliatasq; Provincias, ſceptra, faſces, purpuras, clavas & celſa Heroum inſignia, in Epithalamici plauſus ideâ conſpicimus, ut veterum monumenta famæ, terrarumq; ingentem molem, in uno tanti Sanguinis nexu, ceu volumine operum auguſto cognoſcamus. Tanta, namq; prodigia famæ, Polono Sanguinis Vinculo, jam antea admiratione habita, in Tuo CLYPEO inſtanter colimus, nec facilè deſinimus; niſi nos, tantæ æſtimatio Proſapiæ, imbecilles perſtringat. Aſſumis, ô PRINCEPS, omnem propaginem mundi, Auguſto, Sereniſſimæ PALATINÆ DOMUS Sanguine coronatam, ac in Tuo cordis Delicio Sereniſſima PRINCIPE HEDVIGI ELISABETHA, omnem vetuſtatis Reginarum pulchritudinem, prætergreſſa Filia Principis, Auguſtiſſimum Romanorum IMPERATOREM LEOPOLDUM, Solem Imperii ab auſtro proſpicientem, SACRATISSIMUM JOSEPHUM Romanorum Germaniæ, ac Hungariæ REGEM, mundi Phœnicem, ac ſummum Imperii Columen, Sereniſſimos ac Potentiſſimos CAROLUM II. Hiſpaniarum ac Indiarum, & PETRUM Portugalliæ, Reges. JOANNEM WILHELMUM, S. R. I. Electorem, Palatinum Rheni, totamq; Auguſtam Proſapiam, ſeu bellicis operibus, ſeu infulis Eccleſiæ clareſcentem, Sereniſſimos, Parmenſem, Mantuæ, DUCES, Auguſtam Bavaricã, Haſſicam, & quascũq; tota Germania Familias deprędicat, eas Tuæ gloriæ cognatas habes, cum quibus, tanto lumine plenus, progrederis in prodigium orbis maximum; ut quẽ

ſcribere debeamus, confuſo ſtuporis impetu linguâ oculisq; colere cogamur datis admirationi.

Occurrit tertiâ ſtuporis fronte PRINCEPS magnitudo rerum, quibus gerendis deſtinabaris, cêu jam in exercitus & bella movenda, armata & fortitudine induta, non delicatis quibusvis aſveta operibus, quibus, eo tempore & veterani Hectores diſtrahebantur, ſed Martiis, ſed iis probationibus, quæ, imperterritas mentes generant, & quæ, dexteras, audaciam timoremq; partientes comitantur. ut quidquid ſibi deſiderium noſtrum, à Te fieri depoſceret, hoc jam ad gloriam Tuam eſſet ordinatum, magniq; animi ſpiritum, prorsùs in victorias, ruentem explicaret. Jam tunc viſo Te, colligebantur cogitationes omnium, in ſtrepitus clamorum, plures quàm & ipſe nolles; ut jam & hoſtes vincere, quos nondum vidiſſemus, & triumphare in magnificentiam, elati, & ſpoliis gloriari, & terris minando, fremere, ſcutati omnes auderemus. Ita quidem Martium genium ſpirare didicimus, arma meditabamur ſinguli, ut multarum curarum obliti, in Te ſolo, bona noſtra recondita, deſpectis aliis fortunis, nec arbitrio cogitationum dignis, jactaremus. Tecum inſuper ardebat Patriæ animus, tanto munere ſecurus; mens quoq; bellandi cupiditate inflammabatur; ut tunc Sarmatiam revixiſſe crederent milites; ubi Tu, inter arma, miro quodam ardore vivere voluiſti.

Uno numero temporis, poſtquàm auguſtum Genium Tuum, contemplatione Martia delectari cognoſceres, omnium aſſumpſiſti ora & cogitationes; ut & militem inſtruere in arenam, ordi-

nare legiones, communem expedire adversus hostes animum; sicuti & victoriæ simulacrum erigere, par Ducibus, in utroq; genere belli, ex æquo valeres. Præsagium hoc, grandioris felicitatis emolumento, plenum, gestorum Tuorum latifundia, in omni Veterana cohorte auxit adeo; ut jam & mirari juxta & gloriari, bellare, ut & triumphare, fortunas quilibet suas, magis extollere, quàm fuissent antea, confusione quadam lætitiæ auderet & quæreret, quid priùs in hominem conveniret gaudium an gloria? Sic incitamento Tuo arsit amor omnium & ad capessendam virtutem inflãmabatur æmulatio, inter Primores, quòd cognitu legerent; in prima ætate Tua, illam mentem, & spiritum immortalem, quo simul Mars & Consus ipse, simul Senaculum & fulmen belli, opinionem omnium de Te faceres augustam. Ad hæc tam vasti molimina animi, accessêre multitudine exsuperantes omne pretium; dotes Regiæ mentis, quasi fortitudinis moderandæ, pertinaci favore admotæ militum copiæ, quibus, PRINCEPS, censuram publici sensus, simul & famâ in tanto clangore tubarum, integræ Sarmatiæ decantatâ, jam pridem æstimatus assumis; ut pulcherrimũ agmen militaris experientiæ, ante Te & oculos omnium explicatum, notitiâ mentes perstringente, atq; magnanimâ industriâ præteferres. Quid gradivus in negotia cõmitteret, aut in campum castrensesve labores expediret: hoc Tuo desiderio notum, nec arduum factu esse debuit. Primus & ire viam, & fluvios tentare, & hostium armatos, spe prædæ evocare spiritus, admirandâ in Indole Tua videbaris. Victoriæ eas laurus, quas crescere in acie, ar-

1056

morumq; fragore, non vidiſſes, minùs laudatione Tua circumſpexiſti: nec commotionem agminũ, ordinatis ad triumphum viis ſequebaris, aſſenſu tantum auditionis & non animi, comprobando, cui, corpore mentiſq; magnitudine non adfueras. Parùm Tibi videbatur, hoſtes aggredi, pro occupando triumpho, pellere cohortem, pro dimicatione & campi obtentu; quod ſtudium commune, non verò rarum Ducibus æſtimaveras: major inſederat auguſtum Tuum genium animus, ut cum hoſte bellares, fortitudinem, & non plauſum aleæ bellicæ approbares.

Porrò tam multiplex, Martiæ palæſtræ ſpecimen atq; ornamentum, in Te, PRINCEPS, elucet, veluti in baſi quadam, omne pondus bellorum gloriæ, portante, poſitum, feliciſſima nobis præſentando primi, Regnorum conditoris tempora; ut ſi quæ, eâ ætate inciderat militia, illam, Tu, pro victoria amplianda aſſumendam, generoſis viribus, imperterrito auſu, velociq; mentis ac animi reſolutione decerneres. Timere enim ſortem dubiam, nemo tunc poterat; poſteaquàm ad claſſica, paratam, Tui corporis armaturam in promptu ſubminiſtrares. Tibi PRINCIPI, inter militares proceres, meta honorq; omnium animos æquali calcari ſtimulans ac impellens, curſûs velocitatem acclamavit, palmamque dedit principalem: qui equum veluti ſolium aſcenderas, unde magnorũ ſpirituum Heroas, per ſenium legeres, & alacres ad arma incitares. Ubi verò gravitatem Aſcenſoris poſtulabat occaſio: ibi anteire cæteros, Imperatorem quendam præſentare vultu, geſtu ac multitudine ſelectæ militiæ videbaris. Quotieſcunq;

arcum

arcum torqueres, ſemper jaculis excellere, lacertorum niſu elevari, prompta fortitudine anteeſſe, nativum Tibi fuit atq; uſitatum. Inſuper haſtam vibrare peritior, enſe, latus adornare, ſagatior; gyrum circumſcribere, accõmodatior, quæ dextera excellentiâ famæ claruit majori, quàm Tua? cuius palmus nihil niſi palmare comprehendit. Tuum, baltheus decet Regium pectus, Clypeus manum, clavâ dexteram, caput Mitra Ducalis & Corona; illo vertice, quem per clades hoſtium, triumphorumq; inſignia, martia preſſit galea. Talibus Tu tantiſq; bonis ſupra cæteros auctus, ſtrictis quem fulgida telis, inter laurigeros aluerunt caſtra triumphos, præſentas ad hanc propaginem, Tuæ Majeſtatis faciem, regnare promeritam, omnibus terribilem ac gratam, pectus thoraci accõmodatum, humerorum vaſtam imaginem; quibus omne robur, adeo inſidet: ut ætatis Tuæ prima rudimenta, adminiculo Virtutis Tuæ, ad rerum adminiſtrationem, jam tunc probarentur, cùm ferrũ prima verſare manu, animo verſare labores bellorum ab infantia didiciſti.

Hac Tua arte & decore inexplicabili, eſurientem, à tot retro annis, hinc votis ad moleſtiam repetitis; illinc ad nimiam expectationem flexis enervatiſq; deſideriis, Patriæ ſpem noſtræ, ſatiâſti ad cupiditatem, PRINCEPS; ac pleraq; auguria ex decretis à fama Tua, honoribus, quibus orbem haberes gratulantem, ſola imaginatione populi præmiſiſti. Ita quidem, an fatum quoddam Tibi deſtinatum, an verò Tua felicitas, ocultam, apud Sarmatas, Principum faciem detinuit; ut non aliter Tuam, ac ſi auroram aſſurgentem, homines cole-

 rent?

rent? qui antea noctem quandam ſine lumine aliorum egerant, vel etiam ut inter tot, jam ad tumulum Patriæ inclinatos rogos, fumantes tetram aliquam nubem, non generoſum ſpiritûs ignem, Te mirarentur Æneam, quòd ab æneo SCUTO Tuo, prodeas formido quædam ac gentium ſtupor, quē in uno tantum Alite, Phœnicem præſentante, noſtri coluêre hactenus; ut vel inde admirationem Patriæ occupares. Tanto enim in faſtigio rerum, natum Te, ac ſucceſſorem in paratam ſpem Patriæ, colere debebamus, urgente, nos ad hoc, compoſitâ in omnia virtutum ſpecimina, Tua Indole; ut nullum felicitatis apicem majorem videre, nec cognoſcere, in alio potuiſſemus, quàm in Te, PRINCEPS, quem votis noſtris Superi dedêre.

Non his tamen rerum prodigiis, in quæ, legem naturæ & jus ſuſcepiſti, felicitatem noſtram, tot bonis lætam judicaſti, & iis tantum gloriari permiſiſti: ſed operam ſuſcepiſti aliam, Regiis, & ad majeſtatem, natis ſplendoribus, ſociam, qua ea facta Tua, quæ populus augurari inceperat, ceu maximam lætitiæ noſtræ partem coronares. Taliter enim ad ſumma rerum culmina, quæ in altiſſima pagina, auro gemmiſq; efformata, magnis gloriæ cælaturis præſentantur, gradum Tibi fabricas, ut ab iis, plauſibus noſtris proſpicias. quinimo æternitatis capitolium, omnium læta recordatione famulante, magnis famæ Tuæ paſſibus aſcendis, binis Columnis decorum ac ornatum; quarum una, hæreditatem paternæ gloriæ, magna factorū fide perennem; altera, propriæ virtutis Tuæ admirandam æſtimationem, in publicam, communis adoreæ lucem reproducit. Emines ac excel-

lis Principum gemma, Sereniſſimo Sanguinis ſplendore, ſimul ac armorum poteſtate maxima, qui in Tuæ laudis obſequium pridem cogis literatorū ingenia ac incitas, eaq́; pallida ac horrore perfuſa vincis operum magnitudine, illo verò enervas vires orantium ſcribentiumve; metum uno tempore, cum audacia moderaris; ut initium operum Tuorum, tantâ fortunâ clarum, ac jam in campum areæ perennis, evectum interpretentur.

Velis, nolis PRINCEPS, neceſſarium nobis eſt, Tuam gloriam, ſi poſt ſidera, iter quoddam, aut gradus ultra haberemus, illuc extollere, & introducere; quòd memorem Majeſtatem Tuam habeas, Principem eſſe, & hominibus in exemplum, ac utilitatem, datam libentiùs agnoſcas; ut mores gentium, atq́; debellatos Tuorum animos regas; pro ea pariter, Tuæ, in nos portione gloriæ, quòd Te, ſimilem nobis, conjecturâ morum, aut admiſſione obſequiorum noſtrorum, fatearis; qui corporis proceritate elatior, famâ ac honore excelſior, gratam patientiam noſtram, in triumphum partiris. Adeoq́; tanta majeſtate atq́; meritorum luce, nonne novum quoddam portentum, poſt illam ſubitaneam, in poſteros tranſlatam deciſionem merebaris? nonne titulos, faſces, Nomina, Tubas, & vocem orbis totius plaudentem, in homagium, ac debitum cenſum aſſumere debuiſti? Attamen Tu, gloriæ Tuæ æſtimatione, parum connivebas gratulationibus: aliud cogitaſti; quo, communem Patriæ felicitatem, in majorem aream dilatares. Ætatem Tuam, nullis fortunæ blandimentis ineſcatam, Martiis niſi operibus ſtudentem, ô PRINCEPS, ſemper Nativi animi amplitudi-

ne, ac fortium conſuetudine Heroum contentam, iis artibus educâſti, quibus Principes ad capeſſendum imperium, gloriam, atq; rerum publicarum uſum, inſtruuntur.

Non habet fortuna, quod ambigat, cur Tu, eam, omnibus operibus, unde gradus & faſtigia gloriæ aſſumimus atque recenſemus, habeas ſubditam, Tuoq; regimini facilem ac promptam; quæ cœco impetu, in alios ruere ſveta, ac ſecum trahere ſui habenas, tenentes, perplurimis monilia, qualia apud Principes, æſtimata, à populis audiret, largâ manu non porrigat: ſed ea potius, compoſitis alis, pedeq;, in Tuo, gloriæ curru collocato, quo ire jubetur, divulgat. Quandoquidem, Tu, plus fortunæ com̃unicas, quòd eam, apud factorum Maieſtatem inſtruas, qualia ſint Heroibus digna munera & qualia communem deceant plebem: quàm Tibi illa, quôd ancilletur, & quòd cæcam illam regas, in publicum meritorum iter, ut præmia fortunæ dignis laboribus, ac ſudantibus, pro bono publico armis, non caſum neſcientibus, aut ſomnia meditantibus Græculis, obveniant. Sic Règio animo, debitum felicitatis æſtimas; ut, Tu, illi nihil, præter jura humanitatis, quòd altitudine mentis, eam non deſpectas; illa verò, Tibi, jugum, obſequium, faſces, & munera Regia, debeat; quæ tamen nos, qui in Tuas ſacras laudes adducimur, non adeo digna præmia gratulari valemus; ut ea, meritis Tuis, paria agnoſcas, pluſq; claritudinis, quàm dignitatis poſſis afferre.

Silentium indicis omnibus, qui arbitrantur Tuam magnitudinem, fortunâ majorem, & omnium titulorum verticibus altiorem ideo non poſ-

ſe ab

ſe ab ingeniis capi; quòd ea, in laudes ire non ſinas: aut quòd Te, poſt tanti Orientis Triumphatorem, Parentem Tuum, ingeniis & hoſtibus formidandum, dignè eloqui neſciant, ſed ſenſum horroribus miſcere, verborum oblita, magis iſtud, quod Tua præſentia imperaret, quàm quod didicerunt, voce & linguâ in audaciam Oratoris ire metuente, mirari ſimul ac loqui cogantur. Non hæc, Tibi, intus à corde, vultùs directore manet cogitatio, ſed metus noſter imbecillis, ignorans maximorum Virorum gloriam; cùm, ea niſi deſcribamus, quæ ſimilia, noſtris efformatis mentibus, evenire opinamur; aut ea, quæ ordinario ſenſu videmus, & auditione populi percipimus. Hæc tamen parva omnia Tibi videntur, PRINCEPS, quòd majorem habeas laudis materiam, quàm noſter poſſit exprimere conceptus, ingenii poſſibilitate. Plus enim auguſta mentis Tuæ indagine judicas, quàm nos proponimus; & unum idemq; Tibi eſt, multis lucubrationibus rem noſtram, quam pro votis loqui cogimur, audire; ſicuti & fatigata ingenia, ac ſilentio obruta, intueri.

Non tamen ideo labenti, in cogitationes capiti, indulgere nobis opus eſt, ut manum non ſupponamus; aut Tuam gloriam dictu difficilem ideo non exprimere debeamus, quòd PRINCEPS! ei ſolâ famâ, maxima ſis panegyris. ſed potiùs illuc ſecreta votorum, ſimul & hoc, quod mentes excogitant, & quod lingua addiſcit, geſtibus, in Tuas laudes diffuſis, portare cogimur: ubi ampliſſima materies, copiam fandi ſine mora proponit. Scis enim, quanta quis Tibi ferre debeat, qualia præſtare obſequia; atque in momento, ingenia infor-

mas, quo ſermone laudari velis; & duci in poſteras Principum imagines: ſimul & applauſus inſtruis in cognitionem, quæ Tuam, deceat Statua dignitatem, quisve locus; cùm jam antea Bellatorem Triumphatoremq́;, opere maximo, lingvæ ſculpsêre orbis Europææ. Nimirum paginæ & marmora, quæ voces æternitatis miramur & audimus, ab ipſis mundi longiſſimis finibus, tot terrarum anfractibus, impetu quodam confugerunt, acſi colla in juga darent, ſuam demonſtrantia propaginem, ut Nomine Tuo digna judicarentur. Pridem jam in Martium CLYPEUM Tuum, tota, Heroum ſeries ordinata, etiam facinora ſua Paludamento obtulit: ut illis, ſimilitudine geſtorum, ab ætate ſeculorum approbatâ, claritudinem adferres. Maxima, PRINCEPS, ætatum eras ambitio, quæ bellicis operibus paululùm detinebantur, ut tunc cùm pugnare cepiſſes & agere; tantam eſuriem temporum plenitudine factorum Tuorum, ſatiare videreris, omnemq́; concurſum elogiorum haberes. reliquæ tamen virtutes, quas poſteri colerent, in Tuo animo conſederant: illæq́; dignitate approbatæ erant; quas Tu auguſto genio portaſti.

Rem immortali fide dignam, ad quam totus Oriens ſtupuit, probaſti PRINCEPS, poſtquam illas gentes, quibus alienum robur felicitas, non ſtupor armorum fuit, famâ Tuâ, æquè, ut & Sarmatiam vivere permitteres. Ad Tuam enim gloriam undiq́; florentem, nihil reſiduum fuit; niſi ut eam, non tam opinione, quàm geſtorum æſtimatione ſtabilires, qui magnum tale, ſemper agere credebaris, quod, ſpem populi effectu comprobaret. Uſus es argumento Martio & ardore belli, qui votum Pa-

triæ conſultiſſimum, benè conſcium, quid Nativus Genius Tuus poſſet, à deſideriis & ſuſpiriis ſemper humidis exſiccâſti; ubi illam formidine & terrore occupatam Provinciam, quam vniverſa Aſia, viribus & armis inſederat, quam Tauricana agmina, animorum cordatorum, ſimul & militum furacia, grandi nube ſagittarum infeſtârant, undiq; metu ac armis hoſtium, cinctam, exanimem, & jam quo ſpiritu interiret, cogitantem, Pannoniam, Auſtriamq;, Tuâ præſentiâ veluti exorto novo ſidere exhilarâſti. Unicus inter Chriſtianorum militiam, huius ætatis ſtupor eras. bellâſti ibidem, eo animo, quem hoſtes ipſimet, & veterani milites, æquali mente & opinione mirari debuerunt. Quo beneficio, primam in hoſtibus conſternationem, in Tuo verò exercitu audaciam incitâſti, bene doctus à Potentiſſimo PARENTE Tuo, animum Martium ab Indole non abeſſe, quæ inter arma educata, noſceret, quid hoſtis, & quid Princeps poſſit, quid veſanus furor, & quid Regia Majeſtas, quid, infima barbarici faſtus plebs, & quid ſelecta orbis propago valeret. Fuiſſet ſanè illa opinio multorum; ſi terruit Biſton, aliquando Flumina, ſed non Aquilas & Clypeum, qui æquè protegere, ut & ſanguinem hoſtilem enavigare, in ſalutem gentium, & admirationem bellatorum pridem benè noverat. Qua cōmendatione & cultu orbis, cur non interritus Romeliæ? ſalus Auſtriæ, ac Pannoniæ ſalutari debueras, PRINCEPS? quod Victoriæ præſagum animum Tuum, Oraculum futuri triumphi, ſub REGIO SCUTO Tuo, ceu ſub Delplica cortina circumferres.

 Ante

Ante bellum adhuc & victoriam, incredibili multitudinis occurſu, Te, ſalutabant populorum agmina, in gyrum & cumulum convoluta; quacunque incedebas, innumera vota & ſuſpiria ſequebantur, ſua, quæ tenerent, clara præſidiis cladibuſq; loca, Tuæ poteſtati ſubiecerunt: conceſſerunt reverentiam & obedientiam, dummodo hoſtem, iam ex fama gentium triumphantem, à rabie cohiberes, & in ſua ſpelæa propelleres. homines exanimes, oppreſſi, triſti undiq; rumore, quo fugerent neſcientes, lætari primùm ex tanta potentia, iam antea ibidem probatâ, & mirari demum, dignum obſequium crediderunt; quomodo tam magnus inſideret in Te animus, qui, cùm Sarmatiæ Delicium eſſes, eò pergeres, unde alii fugerent: illucq; ætatem Tuam eveheres, ubi Scythica rabies, igne & gladio cuncta abſorberet. Vulgus undiq; ruere obvium Tibi, genua, veſtigia & veſtium fimbrias prenſare, alii à longe vitam, quam quærerent dubitantes, cadere protinùs inceperunt. Majeſtatem enim Potentiſſimi REGIS noſtri, præ metu intueri nolentes, gaudia niſi, quæ ſpes Victoriæ cauſaret, cum lacrymis, motis humeris meditabantur. Patentem undiq; & apertum habuiſti omnium incolarum animum; alii Tibi vitam ſpondere, alii fortunas conſecrare, ſimplici, quia rumore percuſſo, voto inceperunt, neſcientes, quid Regiam teneret potentiam, quæ magis imperare velit iis; quibus aurum famuletur, quàm oblatas divitias, contemplatione occupare. Tu verò, quem fata felicia terrarum, & ſalus gentium, ſolio noſtro & plauſibus deſtinaverant, tanti muneris PRINCEPS & imperii, quid auguſtus PARENS Tuus ageret, cùm benè perci-

ciperes; pignus certum, omenq; futuræ victoriæ, ex vestigiis gentium collegeras, ac prosperrima quæq; amore depopulatæ Patriæ illius, jam edicere debueras; ut ita perterritam gentem solatio recreares. Eam tamen, periculosissimam felicitatem (parce huic oris spiritui) inire videbaris, quam rumor inclementer divulgaret; quia ab hoste dubiam, populus opinabatur: quam demum, nec amor Civium, Tibi optaret, quòd ideo in aciem dimicatum ires; ut tutam Christianitatem, ab Asiæ periculis redderes. Equidem tristibus experimentis, non bene succedunt triumphales laureæ, quas nos ipsimet, qui victoriam speramus, manibus, si non oculis, destruere svevimus. Impediuntur aliquando parati ad triumphum successus, quos metus obequitat: nec semper crescunt palmæ, in illo campo, quem circumducunt injuriæ, magnorum operum vindices. Sequitur tranquillitatem Regnorum secreta cautela, quæ seræ spei exitum tunc proponit, cùm belli necessitate, eam tollerantiam, in generosum spiritum producit, quâ gentes vincere opus habet.

Ultra, PRINCEPS, profectus es, in tam aspero negotio, minimè territus, quinimo majori semper audaciâ assumptâ, obstinatum iter alijs aperuisti, quo rectiùs ad gloriam irent. Nulla Tibi irrequieta laboris intervalla, obicem talem dederunt, qualem non magnanimo pectore perfringeres. Ante Te, stare miles, Tibi assistere, Te sequi, & Tecum aperto Marte ubiq; clarere videbatur; cui tunc nisi patientiam tædii incussisti, cùm res lentior, magnusq; populi occursus moram impediret. Hoc quidem jure, arma Tua augeri credebas, quòd

unam eandemq; ab omnibus, paribus votis, & precationibus, felicitatem belli caperes, nec pro re alia in campum ires, quàm pro victoria capessenda. Tibi montium, tetris obvoluta viis, cacumina planum iter, palludes & aquæ, destinatum tempus remorantes, facilis transitus fuère, nullum impedimentum exstitit aliud; præterquàm expectatis armis, auxilium ferre tempestiviùs. Alios, cunctatio, non intermisso consilio, inter armorum alacritatem, ac exercitus ardorem solicitos fecit; Te verò periculum, ne fugam hostis anteverteret antea, priusquàm eum armis, non famâ Tui, vicisses. Vias ergo omnes generosis decurrere passibus, læta præire, & secum ducere castra, paratum ostendere armorum fragorem, PRINCEPS videbaris. Et jam in cumulum hostium desuper, in campum hominibus acsi semine obductum, prospexisti eâ majestuosâ, & Martiâ iride, obductâ pupillâ, qua Te, & hostes simul, noscere velles. Orbis ille, si ita loquar, formicarum nidus undiq; numero plenus, quem labara tegerent, hastæ circumstarent, cuius tentoria, urbes repræsentarent, ad bella æquè incitabatur, ut ad victoriam: timere tamen ceperat, quòd ordinatâ ad terrorem exercitûs majestate Invictissimi Regis operâ, aperto Marte, non missilibus cohortibus, illa, probari debebat potentia Musulmanni, quam alibi gentes formidarent.

Movisti aciem uno dexteræ signo, & omnium animos, in momento ad iram accendisti, ut tandem, hostem immanitate barbarum, moribus ferocem, simul cum memoria, exemplo Marii, acsi Cimbros, deleres. Agmina, tot gentium Asiæ, robur, quod Austria vix capere poterat, solo intuitu

uti co-

ubi cognosceres: Tu eorum hastas, ferra, tormẽta, acinaces in manibus volatilibus, voce & sonitu armorum, furibunda omnia, iras insuper illorum, & victorias, qvas impiè canerent, audaciam demum, ad id, Christianum in orbem, introductam, ut superbiam Hellespontici furoris nosceremus; cum tota farragine militari, quasi frivolam & intempestivam judicâsti temeritatem, per contemptum mirando, num plus barbaricus fastus, ad militiam inductus posset, quàm Tuus PRINCEPS spiritus, socius semper tanto Triumphatori JOANNI? Gliscebat jam lætorum successuum fama, ubi ad videndum solũmodo, non adhuc ad bellandum, Hastatorũ Tui lateris Cohortem præmitteres, ut experiretur Thraciæ potentiam, quâ militum copiâ adeo superbiret? ut illuc Vires introduxerit; ubi suum tumulum, jam semel in posteram memoriam conditum, palàm adverterat.

Novum, inter tot armorum strepitus bellum, Tu Regiæ gloriæ assertor PRINCEPS, laborum æquè ac periculorum, quæ Mars sauciaret spectator, clade hostium firmâsti, posteaquàm illam Romeliam tot victoriarum antea feracem, illum inquam fastum, cui Christianus orbis Ovile fuit, domuisti æternæ fidei freno, adeo; ut pertinacem eius animum, à tanta superbia, in imbellium virium suarum confessionem induxeris, madârisq; fateri, libentiùs se victam, & in triumphorum Tuorum manubias, concessam judicari. Quotquot enim illo tempore, moto Oriente, ac toto orbe barbarico vidisti viros, tot Tuæ Virtutis admiratores, nõ hostes judicâsti. Tota illa, ad terrorem instructa acies, uno impetu corruens, Tibi Machina videbatur, in

tur, in illo loco, ubi in victoriam palmæ plantarẽtur. Furor armorum, ex utraq; parte, quandam impetûs nubem ferens, cum pugna, ſtrepitu, clamoribus in triumphale claſſicum ceſſit, quod Mars ipſemet intonuit, exercitum ad victoriam, hoſtes in fugam animando: Lamenta inſuper, ac ejulatus Aſiæ, quibus integer ille dies infeſtabatur, Tibi pro nobis bellanti, in gratulationem fuêre grandi ſatis eloquio, quia toto prælio perorante.

Martem Tuum ſequimur, qui ſacram, Tuarum laudum congeriem avidiùs penſamus, per tot diſcrimina rerum, per tot ſtrata Tuo itineri, hoſtium cadavera, quæ calcare debueras, ut duritiem eorũ cognoſceres, qui nullis fletibus antea moti, pectora ſua, & ſe ipſos, ut lapides, ad quatiendam Chriſtianitatem, rabiei Muſulmannæ dedicaverant. Tu, PRINCEPS, tantam multitudinem, Tuo ſuccumbentem Nomini cognoviſti, quam acinaces Chriſtiani, fulminum more, terræ affixerant. Jacuit ibi rabies, in ſua arma ſpumans, furor ſpiritu ſpoliatus, auſus ſine vita, impetus ſine motu, clamor ſine voce, fuga ſine paſſibus, in compendio loquar, quẽcunq; tunc inter bella ſpiritum, & animum aſſumere potuit hoſtis, eo, geſtibus relictis, ad ſtuporem gentium & gloriam Tui, confundi videbatur. quodve aliis, in picta colorum, verborumq; relatione, mirari audireq; contigit: hoc, Tu, calcaſti, factus ipſemet, æternis operibus Tuis auguſta cælatura. Equidem illa, quæ Tu egiſtî, ſenſum Oratoris confundunt, majori copià argumenti, quàm ingenii: ut pote quòd Bellatores nemo meliùs loqui poſſit, quàm hoſtis triumphatus, aut ipſamet in Palmare Claſſicum, deducta victoria: quæ non

tam

tam lingvam, quàm affectus generis humani in tripudium incitat, oſtenditq́; plùs, aciem illis victam, ac robur hoſtile fractum æſtimari, quàm orbem integrum Oratorem.

Mirabantur hoſtes ipſimet improviſam ſuam pœnitentiam, qui propiùs introſpicerent, eaſque virtutes intuerentur, quarum munimine auctus, ornatuſq́; tantam victoriarum copiam, inauditam cædem pugnantium, in trophæa, tot acies hoſtium, campos furoreſq́; Biſtonios, in plauſum es conſecutus. Vidiſſemus tunc illum horrorem manubiarum! illas voces Turcicas! quas mutato ore timor locutus eſt. illum clamorem, quem pænæ metus, circumquaq́; edixerat! illum barbaricum cultum! quem fortiores quiq́; inclinatis, ad genua cervicibus, inſtituerant! Tibi iſta omnia in prodigium præſentabantur: quæ tamen non adeò in triumphum Tuum ſuſcepiſti, ut his belli faciem ampliatã recreares: plus cogitaſti, quomodo reliquũ Aſiæ exercitum, potentiâ Tuâ labefactares. Circumiviſti integram Pannoniam, ardore Jmperatorio armatus, acer in prælio, excubiis deditus, ſudans ſub Paludamento, & linteo, caſtrenſi cibo contentus, nullis temporum injuriis diſtractus, militem opere, ac Ducem conſilio agere doctus, functionem omnem Majeſtatis præteferre conſveviſti, hilari ſemper animo, alios in alacrem ſpiritum incitare ſvetus; ut magnitudinem Tuam hoſtibus ingeminares. Quamcunque in Provinciam PRINCEPS veniſti, in hac Tibi caſtella, ac urbes ſua flectere arma, clementiam ſecreto voto expoſcere videbantur. ubiq́; ſecuritatem Tuam re-

liqviſti, quam ſaluti civium, ac gloriæ Reipub. antetuleras.

Reduci Tibi à tantis trophæis & cladibus hoſtium, PRINCEPS, urbium Civitatumq; legiones, tot Optimatum cohortes ordinum ſelectiſſima facies, celebris ac feſtiva tot mortalium frequentia obviam aſſurgit, aliam nullam dicendi materiam eloquendo, præterquàm ſalutem Tuam, ſalutem gentium adveniſſe. Nulla, illis perorandi ordinata facultas placuit, nec mora ſapientiæ mater, excogitandi verborum pondus, aut impetum permiſit; ſed ſinguli pleni gaudiis, nihil niſi lætitiam; cum vocibus & geſtibus exprimere docti, triumphos & feſta victoriarum in momento edixerant. Viæ, quas iviſti, gloriam ſibi vendicare ceperant. Terræ & Dominia, quæ tam Majeſtate adventûs Tui, quàm triumphis clara effeciſti, cæteris præferri volverunt: ita quidem omnium, ſicuti gentium, ita & hominum præiverant deſideria; ut ea, Tuæ gloriæ ſubdita cognoſceres. Plauſum orbis ipſumet triumphali currui Tuo, vinctum habuiſti, quem liberis vocibus, populus ſubjugavit. æmulabantur gratulationes omnium, lingvis & affectibus, quorum energia par, ac impetus votorum idem, adeo ab inſolenti gaudiorum incitamento diſtrahebatur; ut dubium fuerit, an impatiens materia, an verò inſtituta ac coordinata perorantium multitudo, famæ Tuæ gloriam explanare voluerint elocutione.

Poſt hanc populi ſelectioris adoream, ab ultimis oris, naſcentiſq; mundi cunabulis, in Regiam veniens PRINCEPS, primis amplexibus, operum Tuorum claritudinem tuliſti SERENISSIMÆ MA-

RIÆ

RIÆ CASIMIRÆ Poloniarum Reginæ, Parenti Tuæ Auguſtæ, ubi votorum omnium rariſſimam propaginem, moderatione gaudii tuliſti, eamque trophæorum relationem, Maternis gratiis præmiſiſti, quam, bello ac cladibus hoſtium ampliatam, ceu prædam pro victoria, & cum ea conſtantem triumphorum ſeriem collegiſti. Mox Sereniſſimis PRINCIPIBUS, ALEXANDRO, & CONSTANTINO bellicam majeſtatem, ſub conſveto Martii pulveris ſigno, demonſtrâſti, in eodem habitu ac Sago, quo hoſtem aggredi, conſiliis adeſſe, ſequi triumphatorem JOANNEM, Tibi fuerat vſitatum. Senatui dediſti ſeriem bellorum, Oratoribus, operum Tuorum panegyrim, Patriæ, plauſum atq; triumphum, ut nihil aliud homines cogitare voluerint; quàm Tuam divulgatam in omne genus humanum, famam meritorum. Iviſti demum ab altera fronte Regni per PODOLIAM, exercitato jam ad victorias ſpiritu, contra, minacis Gradivi vindiciis armatum Orientem; & ne hoſtis, infelix ſibi illud gentium Continens imaginaretur, in quo bella perdita, hactenus lacrymabili ſcena demonſtrârat; aliunde robur oppoſuiſti, quod hoſtem ſolo auditu ſauciavit cogitantem, Te Principem, non pro pugnis ſed victoriis adveniſſe. Detinuiſti itaq; illam cœcam Scytharum aciem, illum impetum ferocis populi, cuius copulata arma, ceu nubes denſæ, vehementi ruunt, & huc atq; illuc feruntur, ſpiritu; illum inquam æſtum Ponti, qui littora ſua excedens, vicinas implet aquis provincias, illam rabiem, cui nullæ ſufficiunt habenæ, domuiſti; eamq; intra antra ſua, ingemiſcere còëgiſti; ut Chriſtianorum animi liberi à veſanis inſul-

tibus, triumphatum Aſiæ Martem, ad ſatietatem intuerentur. Talibus Te, ô PRINCEPS, armis invictum, æqua gentium vox conſenſuſq; Regnorum locutus eſt, quibus & domeſtica limina lætis circumſcriberes victoriis, & aliena, florentibus ſemper palmis circumferres.

Eadem pene claritate, ac fulgore lucet Nomen Tuum, quâ exorta terris lumina, cœlum terramq; exhilarant, cuius auguſta ſpecies & forma, faſtigium humanarum rerum tenens, Majeſtatem Tuam occupat, ac tantâ Regiarum virtutum concordiam, omniumq; harmoniam dignitatum exhibet: ut in Te & imperandi gravitas, & bellandi magnanimitas, domi hoſpitalitas, & clementia, unum locum principem occupare videantur. Omnem hanc virtutis Tuæ amplitudinem, probatâ generis humani fide demonſtras, quod improbos Zoilos, aut degeneres multorum animos, in Tuæ laudis officium nequaquam aſſumas. Quibus enim impium quoddam fatum, malevolentiam, aut quaſdam ingratitudinis, pondus ſuperciliorum ſequentes rugas, cauſat, incitatq; eos in vertiginem capitis: iis clementiâ mederis, oſtendens omnibus apertè timorem, & amorem Tui, veluti Pacē & juſtitiam in una ſede morantem convenire. Talem Te Principem coarctatis ad unum affectibus noſtris deprædicamus; qualem quiſq; ſibi videre, ſeu audire velit, cujus nutui omnia cederent, bella, pax, fortuna & gloria, acſi homines regerentur. Nec ad hanc elogii partem, alium quempiam admittimus, Tibi ſolūmodo armis & vocibus adſtamus, ſatiati Tua felicitate, ac Tuâ potentiâ majorem aliam, nec invidiæ concipere permittimus;

cùm

cùm ita plauſum Tuæ ætatis dilates, diffundaſque in orbem totum: ut & nos plura obtentu habere, & magis cæteris præferri hominibus videamur. Solus ergo tot gentium coronâ cinctus, potentiam, honores, vota atq; acclamationes occupas, immo ultra modum proſtratos, veluti arma, Tuis pedibus extendi ſolita, intueris, mirariſq; amoré omnium, in compedes actum: ut nullus ei modus ſolvendi, poſſit etiam ab improbis inveniri. Tibi verò quantus ardor, ac zelus ultra creſcat, quòd taliter Patriam de Tuis tam dignis, tam feliciſſimis, videas lætam virtutibus; mihi, magnum quidpiam molienti ipſa Tua libentiùs loquitur publica ſolicitudo, quâ id ſolùm Tuis pertinere cogitationibus exiſtimas: ſi quid gloriæ aut utilitatis, ad Tuos, poſſis referre. Principem Te majeſtate virtutum, præbes omnibus; ut commune deſiderium inſpicias, flagitanteſq; opem bonæ vitæ animos, in Tuum componas exemplum. Quo genere clementiæ, nobis eum fortunæ gradum porrigis, quem longâ morâ laboris, ſibi mortales fabricant: & adeo nos uſq; elevas in quandam æſtimationis dignitatem, ut nihil mirari gratiùs, aut imitari libentiùs optemus: quàm quod PRINCEPS facis, Patriæ in emolumentum, credentes nos æmulos Tuos videri, ac ſimilitudine vitæ commendari.

Sed & excreſcere in florem auguſtum, & ornari imperium Tuum, regimine demonſtras; ſi optimos illos habeas Tuæ præſentiæ continuos ſecutores, qui cæteris, lumine illuſtriores anteponantur, & qui Martem ſpirare, æquè ac domeſticis fulgere ſplendoribus, bene ſciant magiſterio. Cir-

cum Te ſunt omnium ſtirpium Lechiæ ſelectiſſimæ phalanges, quibus ſtipatus, ſol veluti inter ſidera, & opinione & præſentiâ Tuâ, orbem noſtrum ſerenas, omnem invidiæ expellens nubem, ut unus ubiq; auguſtus videaris. Quippe aulam Tuam integram, efformatis ad celſitudinem plantâſti virtutibus; ut æquitatem, fortitudinem, frugalitatem, & quidquid ſummum in homine natura deprædicat, non aliunde, niſi à Te, in imitationem efferatur. Et ſi Principum felicitatem, ſalutem populi eſſe dicimus: Tuam vitam nobis in exemplum conceſſam fatemur, acſi ſolem, cuius radios ſequimur, aut ærarium quoddã, quo, moribus ac vitâ ſublevamur.

Noveris unde PRINCEPS prædicationem, ſermones, & illam fandi materiam, quam Tuarum paginis laudum inſcribimus, ſtudium eſſe Oratorum, quo Tibi eloqui ea velimus, quæ famâ gentium meruiſti. Deluctamur, frontemq; perfricamus, magnitudinem operum Tuorum, non dignitatem Orationis, ſed Tuæ gloriæ debitam vim, intentâ pertinaciq; ad quietem cogitatione quærentes; quâ delineare id cupimus, quod Tuam factorum deceat dignitatem. Pondus verborum non aſſumimus, ſeriem niſi rei, Tuæ Clementiæ comittimus, cùm minora omnia videantur, quæ, dicuntur, quàm quæ dici debeant digno oris documento. Etenim recordatio Tui, in armis, metum incutit Oratori, ac minatur Tuam potentiam, æqué ut & hoſti, quâ eam ſempiternam Tibi eloqui mandas gloriam, quæ in arcubus triumphalibus, ac ſtatuis, auguſtos Principum faſces decet. Tu Princeps ævum hoc noſtrum Tua feli-

citate gaudere vides, quòd orbis Chriſtiani Antemurale, Marte Tuo muniveris, quòd Pannoniam integram, Sarmatiamq; prælijs & victoriis firmaveris, quòd antiqua munimina, hoſtili ab imperio vindicaveris, tot Terras, Urbeſq; Tua Serenitate recreaveris, quòd populum ſimilitudine Tua armari permiſeris! Quare non alia major, Tibi PRINCEPS, gloria eſt, quàm quòd agentibus Tibi gratias, modum loquendi, quem quiſq; norit proferre permittas. omnis enim Tui prædicatio palam prorumpere cupit, ne ſuo, in Principem, debito ſtudio, aut culpâ ſilentii notetur: quo genere clementiæ, in debitam Nominis Tui panegyrim, populi fidem aſſumis; ut tum ea, quæ dicenda reſtant, quàm & illa, quæ pro vectigalibus ſuſcepiſti votis, ſint Tibi, in æternam famæ veritatem, ſolâ, meritorum deprædicatione.

Tandem ad Tuæ Solium eminentiæ, curam ſermonis proſternimus, & poſt agnita multorum pericula, cum unitis animis, poſt gratias & coronas decretas; quas magnitudine promeruiſti procumbimus, adoream ferentes, Tuâ ſvadente potentiâ, poſt Martem, armorumq; vim, ac poſt vexilla triumphalia, Epithalamicum plauſum ingeminamus, quo orbem integrum impleviſti. Tibi à Gadibus uſque & ab ultimo decumbentis Solis littore, expanſis velis, felici Navigio Nuptiales Syrenes in panegyrim aſſurgere geſtiunt, famam terrâ marique divulgant, ut reſpirante cœlo, totus Oceanus Lucis Tuæ ſerenitate refulgeat. Tuo Nominis adventu, per Europam integram palatia, magnorumque imagines Heroum, digniùs vigere, atq; humanis oculis imperare creduntur, Effigiè

deniq; Tuâ inter Simulacra gentium poſitâ, ſuperbire incipiunt, quòd Te ô PRINCEPS viribus ac armis antea junctum, nunc Sangvine unitum, tantus orbis intueatur: Tibi cedit omne tempus ac otium Provinciarum, Tibi latè patentia Regna, læta, tot Oratorum vocibus, grande fiunt eloquium, quòd omnia in Te ſint, quæ aut fortuna, Principibus, aut natura largiatur. Solus ſtupet Oriens, quòd tantam Sangvinis Majeſtatem, ſuo ſolio deprimendo auguretur. Adeoq; revelent alii incontinentem vim ſermonis, dicantq; ea, quæ ultra loqui iubes; mihi & hic, maximam vim gloriæ dicere tenenti, mirari ac ſilere contingit, quod ſequi tantùm à longè eos Principes, quos Gloriæ Tuæ Oratores habes, etiam cum calamo debeam erubeſcendo.

Hîc ego, ô PRINCEPS, omnem loquendi Spiritum claudens, qui ex Majeſtate Principum orbis opprimitur, promiſcuis terrarum votis, ſolennẽ diem hanc, interpretari velim: cui lucem tanta ſidera terrarum, inaudito atq; inuſitato ſplendore dedêre. Equidem tanto concurſu aſtrorum, ac præambulâ, tot plauſuum ſerie, plenam diei faciem irretortis oculis, inſpicere, ac eos cogimur mirari ignes, quibus integer orbis exhilaratur, quoſve non jam ex hoſtium tædis, aut palmis, ſed ex hederà gloriæ, tot ſuſpiriis exſiccata, fama accendit. In his ergo plauſibus, novum lætitiæ ſenſum experimur, ut non minor Tui Nominis, quã meritorum opinio reſultet, ac dubium nobis relinquatur; pluſne à Tuis meritis, & famâ, orbis? an ab orbe, merita Tua & fama triumphent. Tibi interim vota non ſtudii ardor, vincula, ac ho-

magia

magia, populi acclamationem complectentia, nō Delphi debentur, cùm iam antea Tuæ virtutes, cedris, aut ære perennioribus trophæis, Phydiæ Mironisq; opere sculpendæ assumebantur. Tibi congeriem votorum, communes precationes, atque plausibus imbutum animum, tantis sub auspiciis Regum, in momento, ac incessanter canere naturalis clementia decrevit; ut & Nobis eam gratularemur felicitatem temporum, quâ fortunas nostras, animum & opinionem crescere opinamur. cùm denuo redivivam gloriam, jam antea Augusto Jagelloniano Sangvini associatam, à Tuâ gloria assurgere, splendore perspicacissimo videamus.

Lætare igitur de Tuis, tot Regum ac Principum orbis gratulationibus, cùm ad firmandam felicitatem publicam, Tuas Virtutes Regias, sub Regali SCUTO in præsidium ac dulce decus demonstras; qui Europæi Martis adoream, in SPONSÆ Tuæ triumphum, læto ubique respirio, erexisti. Votum unde, pro Orbe toto, primum Tibi sit Serenissima HEDVIGIS ELISABETH, cuius Sangvinis Vinculum, totus Orbis Europæus est. Tu Illi sis ô PRINCEPS, cor, sensus, ac eloquium augustum; ut sic maximorum orbis Principum gemmæ, pretiũ Regnorum, & gentium æstimationem, novo suspirio occupetis. Nos verò cum Patria optamus, ut destinatis Superûm gratiis, toto cœlo in splendorem gloriæ effuso Serenissimi Principes Sponsi, JACOBUS & ELISABETHA, Augusto in Sangvine, cōmunem omnium vitam, publicæ felicitatis PRÆSIDIUM TUEANTUR.

PLAV-

1070

PLAUSUS EPITHALAMICI,

SERENISSIMORUM PRINCIPUM SPONSORUM.

PANEGYRIS II.

AUgustos operum fasces, Mavorte calentes,
Gestaq; cælatis Patriæ, transcripta trophæis
Sculpere, nunc tandem, vasta Germania mentis
Desine; succedunt dignis, nova nomina fastis,
Arbitrio Superûm, & rigido censenda metallo;
Nomina, quæ sociavit amor, distantia jungens,
Et consangvineis, quæ scripsit gloria mitris.
Hæc modò Musa canet, versis in gaudia fibris,
Lætaq; Sauromatum, surgent cum vocibus ora,
Sublimi, quando properant vestigia colle
Sangvinis, insignes, Lechiæ dictura, triumphos.
Mars, qui flammiferis, mundum succendis habenis,
Soluis & exhausto, redeuntia secula motu,
Ferri mitte vices, & pila minantia, pilis
Cedant, cum meritis Sceptrorum Principis. Arma
Illustrent factura thronum, Sedemq; Polonam
Exhilarent meliùs. Vati sit Spiritus unus.
Exarsit nuper, celeri, per bella tumultu,
Sors hominum, quærens, fatorum jura, Gradivo,
Virtutisq; novæ, totam, qua funditur æquor,
Inspexit terram: nulli compescere fluctus
Hos poterant ignes, viresq; nec Attica Siren,

Inter

Inter tot plausus famæ, captavit amicis
Cantibus; ast tandem Nexus, post oscula pacis
E Solio Superûm, iustis amplexibus, unus,
Stringeret excelsas mentes, quas fata dedêre
Nostris temporibus, gentes ut lege gubernet.
Solus amor Regum, tantis est iura locutus
Motibus, ac mediis è flammis censuit orbem.
Nam cùm tot canerent orbis nova bella triumphos,
Quêis Asiæ fastus, grandiq; tumore per ipsum
Imperium surgens, post Pontum est trusus in antra,
Robore totq; Ducum, iunctis Regalibus armis;
Haud aliud, decuit gentes, quàm læta trophæa,
Et nova fortunæ, digno munimina plausu
Sumere, quàm Scutum Lechiæ redimire coronis?
His tantis, fortuna, bonis, providit ab ipso
Ortu Germanæ gentis, nova Nomina mundo;
Augustamq; Domum pro munere condidit ævo,
Vt nova Regnorum sit basis, sitq; triumphus.
Maxima Teuthonicis ripis evecta propago,
Immenso diffusa solo, fax prima Senatûs
NEVBVRGI producta toro, sors maxima Regum,
Maiestate nova, trabearum insignia terræ
Clara ferens, ævi & seclorum summa voluptas,
CÆSARIS Augusti genio defluxit in orbem,
Sangvinis ac meriti summo splendore relucens,
Tantus amor Solii, quo non augustior unquam
Sors hominum fuerat, succensis ignibus ardens,
Induit excelsam Sedem, Diademata sumens,
Imperio luxit, iubar Augustale trionis.
Sic etenim fatis, succedunt tempora lætis,
Ardens lustrat amor, Victorum sæpè triumphos,
Succenso stimulo conservat nomina mundi,
Innumeras umbras pariter lux una serenat.
Munera quæué timet casus, fortuna ministrat.
Hæc Augusta Domus, Regalis Vita Senatûs,
Grande Decus mundi, Columen sedisq; supremæ

1080 *Fax, Splendor, Fulcrum summæ fastigia mitræ*
Prodigiosa tenens basis, poscente triumpho
Gratia Teutonici Martis, delata cadentis
Europæ vis, quâ populi, gladiiq; Gelonum
In puncto struerent, digna præcordia pacis;
Qua rigidus caderet Thrax, Hellesponticus atq;
Prædo suis tot Regnorum, sitibundus in antris,
Orbem quâve suum trux, absorberet utrumq;.
Hæc Superûm fundata manu fortissima turris
Et species, Charitum numero decorata superno,
Imperio placuit. Volucrem captavit amore,
Vicit & Invicti vires præcincta catenis
Cæsaris, ac orbem sociavit sangvine claro.
***Primus** ab Occiduis aurato vellere Mavors*
Littoribus famâ medium succensus in Austrum,
Hauserat insignes Unius Principis ignes:
Altera navigio Lusitano, vecta per orbem,
Arcibus innumeris, Regi tulit alta trophæa.
Parmensiq; Duci fert Tertia, vincula amoris,
Ac Latiam summo constringit nomine gentem.
Nam tanto numero felix Prosapia, jura
Sicut Regnorum firmavit, Stirpe Sororum;
Sic etiam Fratrum seriem, fulgentibus armis
Gemmatisq; mitris, claram deprædicat orbi.
Fulget enim ELECTOR *famâ & Palatina sede,* IOANNES
GVILÎELMVS *Princeps; quem vis, quem iura **Paterna***
Sortis, in Electorali posuère curuli;
Littora qui Rheni, primæva lege tuetur,
Imperiumq; potens, condignis finibus auget.
Teuthonici Martis pariter, belliq; Magister
Lumine Maiorum claret, Virtutis avitæ
Exemplum, Gentisq; decus, speciosior inde
*Princeps, quòd pretium & summi sit pondus **honoris.***
Non interrupta serie procedit ab inde
Imperij Alcides, CAROLVS, *quem Martius ardor*
In sua conscribit magnæ vestigia famæ.

Augu

Auguſtanus honor, carpit ſplendore Tiaræ
Frontis ALEXANDRI *ſpeciem, quam gloria tanta*
Virtutum meritis ad maxima culmina ducit.
Præſuleis pariter gemmis, mitratus, & ingens
Lux Sileſi Solij, Princeps, Priſciq; Senatus,
Grande jubar loquitur, quem vox, quem mille labores
Ingenij, dignis conantur ſcribere faſtis.
Conſtantenſe Solum, meritis, ac Cæſaris armis
Illuſtrat tandem reliquorum nomina Fratrum
Quæ tituli & faſces narrant, quæ fama ſereno
Sangvine, ſeu tanto nexu miratur & audit.
Sic Auguſta Domus multorum gloria honorum,
Quam faſces decorant Germani Climatis omnes,
Bavarici Solij gentes, ac Haßica tellus,
Imperii cunctæ trabeæ, nexusq; tridentis
Heſperias quotquot numerat Neptunus ad undas;
Et quidquid meritis totus ſibi vendicat orbis;
Sangvinis id famæ Neuburgi, iungitur uni.
Hæc ubi fortunæ vicibus primordia ſiunt;
Continuant Superi pleno Germana favore
Gaudia, ſucceſſusq; novos, ſucceßibus augent.
Orbis, adorato Primævo REGE IOSEPHO,
Quem peperit, titulos Princeps transgreſſa Supernos
ELEONORA, genis pulchræ par altera Lunæ,
Imperium ſtabilire cupit, dedit ipſa triumphos,
Maieſtas Regum, geminavit gloria plauſum.
Talibus, æternæ properabant omnia famæ
Prodigiis, res tota ſtetit, ſunt cuncta ſoluta,
Ac cælum, meliore comâ diſpergere lucem
Cæpit, & immenſo famæ ſplendore reluxit,
NEVBVRGIq; torum Regali ſangvine clarum,
Partibus Auſoniis, Latiisq; in ſedibus, ipſi
Europæ faſces, conſcribunt carmine digno.
Cogitat excelſas Palatini muricis Arces
Gloria tot Regum, vitæ quo fœdere vivat
Et ſimili demum, clareſcat Nominis ævo.

Sauromatum Tutela, soli, vis tota, JOANNES,
Mavortis, Rex armorum cum pondere natus,
Euxinum & mare Godanum, dimensus utrumq;
Imperio, Ducibusq; potens, mirante Trione
EOO, tantæ cunctatus Nomina famæ,
Ister, quæ coleret, totus quæ posceret Orbis,
HEDVIGIM AMELIAM, niveo Splendore nitente,
Natam VILHELMI primævo iure Supremi,
Ostia qui Rheni Palatina lege regebat,
Delicium exoptat: mox tanta Principe dignum,
IACOBVM Regale Decus, concessit amori.
Cogitat hæc, ubi Rex, Patriæ Pater; en sua Princeps,
Sensit non modicùm, quæ tunc fortuna pararet
Munera: processit pariter maiore coturno,
Sumeret ut vitæ nexum; tandemq; rogatus,
Quos thalami cuperet Sociato Nomine fastos.
Tunc animi vasti, natiuo nescijt ore
Rem simulare diu, magnæ sed gloria MATRIS,
Inspicit, an genium miretur, Regius hæres!
Quemvè gerat Clypeum, post tot certamina Martis,
Arma tenens clavâ, succincta voce perorat.
Spiritus hic meritis, O Rex! famâq; calescens,
Quem nutrivisti ferro, cui sangvine vitam
Partiris, me quem Bellonæ vivere lacte
Fecisti, armorum strepitus cui festa fuère,
Area cui Martis, cui Regiùs Vmbo cubile
Exstitit; en bello Natum, quid Taurica frendens,
Quid Biston sciret, quid Thrax, quidue impia tellus;
Me comitem, tanti vidisti muneris O REX!
Inspice quo voto vivam, quove igne calescam.
Non ego delicias Orbis moremq; secutus
Multorum vultum, thalamis ut nuncia famæ,
Quæro, per innumeros, iret pictura penates:
Non ego fortunæ Solium, conscendere posco,
Quod labor & SCVTVM bellatoresq; parabunt
Enses, quod virtus ducet, meliore Triumpho.

Sed quæ

Sed quæ Sponsa meæ succendat fœdera tedæ.
Oratum mitto Clypeum cui Nomina junge,
Hic precor ut sublimè DEcus torrentis Iberi,
Navigio attingat, totum deductus in orbem,
Hic vehet Invictam, quam concomitantur amores,
Progenitam Augustis, Augustorumq; Sororem.
Rex notat excelsæ mentis vestigia, noscit
Neuburgiq; Genus, magnis Heroibus altum,
Teuthonici Martis, quod lauri, quodve triumphi
Exhilarant, famâ, meritis, Regumq; Coronis.
Sacrorum Pater, & Vaticanæ gloria Sedis,
Summus ALEXANDER Pastor, fastigia Romæ
Alta tenens, mundumq; regens è culmine rerum
Gesta notat Lechiæ, quorum tunc maximus Hæres
Princeps IACOBVS fuerat; qui lege Gradivi
Odrysios animos, Thetidem, Pontumq; ferali
Presserat, atq; Getas, ferro, volucresq; Gelonos
Factorum Regis socius, compescuit armis.
Tot vires orbis Pastor, tot gestaq; digno
Munere conscribens, Nexu complectitur uno,
Neuburgiq; Torum, voto concludit; ut inter
Lumina tot mundi iungantur Principis arma.
Rex tanto mundi votorum Numine gratus
Expedit interea Proceres, mentemq; Senatûs,
VITVICIVM, clarum meritis, splendoris aviti,
Gemmis quem decorat Mitra Posnania; sed quem
Virtutis splendor præcinxit mille pyropis.
Pectora Sauromatum Cæsar dum iuncta notaret;
Principis ac genium, magno cum robore mentis
Exciperet; rerum congesto pondere Regni,
Non vulgare iubar Patriæ, dispersit in omnem
Congeriem mundi: gratus, quòd Nomina centum
Convenêre modis, quibus omnia fata teneri,
Iudicet imperii Regum munimine clarus.
Elector, tantiq; Patris dum Vota IOANNES
Exciperet, dignumq; daret dum gloria plausum,

Principis AMELIÆ dum tantæ Viſcera Matris
Tangeret altus amor, vaſto tunc omnia rerum
Cardine procedunt, ad Regis vota recurrit
Gratia fortunæ; quæ ſecum ſidera mundi
Ducit in auguſtos faſces; quæ Regna iugali
Promeruit famâ, tanto ut ſplendore perennet.
Nam melior certè geſtorum naſcitur ordo;
Dum timor, ac populi nexus, Regalia geſta
Mentibus inſolitis celebrat, copulatus in uno
Murice, quem vicibus condignis orbis adoret.
Tandem conſurgit Princeps, flagrantis ab æſtu
Fax thalami Regum, ſolium candentis amoris,
Vis, vitæ nexus, Neoſponſa ELISABETH ipſa.
Hanc ubi demiſſo colerent ſuſpiria vultu,
Votaq; flagrantis Lechiæ, ſermone venuſto
Proferrent; ipſam pariter dum Principis ore,
Rem loqueretur amor: ſua tunc fortuna miniſtrat
Nomina, factorum ratio declarat, aperto
Iudicio, vaſtum quàm diffundatur in orbem
Neuburgi ſplendor: cognovit & Haſſia mentem
Principis indutam trabeis: nam bella IOANNES
Rex Lechiæ, Regumq; ſalus, cum mille triumphis
Quæ movit ſocio IACOBO; protinus omnem
Nexum votorum SPONSIS fecêre paratum.
Argumenta ſui pariter proſpexit honoris,
Auguſtus meriti ſplendor diffuſus in omnes
Europæ gentes. ſic omnia munera votis
Succubuêre ſuis; geſtus reſponſa fuêre:
Gloria quæſitum cordi decrevit amorem,
Ac fortuna dedit rivos, queîs Regius Umbo
Præſidium ferret Patriæ, provectus ab Auſtro.
Omnia ſolvit amor, qui vox, qui ſpiritus oris,
Ex utroq; fuit, digni qui vincula cordis
Sacra tulit, vitæ pretioſo munere fulgens.
Purpura nam Regum magnorum nomina ſcribit,
Iuraq; fortunæ meritorum in ſirmate condit.

Augeri

Augeri tandem nitor, & iucundior æther
Explanare ſuos, famoſo gurgite colles
Incipit, & lætis ſuccendit plauſibus ignes.
Riſit amor, fauſtoſq; dies tranſmiſit ab inde
Succeſſu rerum, ſparſim quoq; nuntia mittit
Nomina magnorum Procerum, gentiſq; canente
Exhilarat, fortuna lyrâ, quæ rebus utriſq;
Vim tulit atq; modum, plauſus paritura ſecundos.
Interea Princeps, pacato turbine rerum,
Quas movit livor, ſequitur diadema Parentis,
Munera cùi narrat thalami, Regalibus armis
Quòd magno numero laudis, ſint omnia geſta,
Atq; ſuis veniat, iam Sponſa è finibus orbis.
Hæc Regi Princeps, Rex ſed præcordia famæ
Noverat optato ſeu concluſo documento
Cæſaris, ac dignæ properet quòd fœdere pacis
Filia tot Regum, votis comitata ſecundis.
Miſerat Elector, Procerum Comitumq; ſereno
Auguſtam numero cinctam, tunc quippe Sororem,
In mediam Lechiæ ſedem, Regnumq; ſub Arcto
Auſpiciis Regum, famâ, belliq; trophæis
Felix, ac primum, cunctorum vota ſecutus.
Sponſam præcedunt multorum munera Regum;
Conſurgunt Patriæ fines; ac culmina terræ
Efformant plauſus; dignum, quibus undiq; narrant
Principis adventum: lacrymis tunc gaudia miſcent
Gentes, quas Leo Neuburgus felicibus armis,
Viribus, imperioq; potens, regit atq; tuetur.
Nam quàcunq; ſuos greſſus tunc Sponſa movebat
Hàc ivit populus, fortunæ munera ducens:
Hàc ſua votorum quivis compendia dixit:
Hàc occurrebant terrarum mille ſalutes,
Mille dies Iuliæ, Clivorum votaq; mille
Et quidquid demum pertingit, murice digno
Principis hic ſplendor, totum hoc in munera ceſſit,
Tantis, auſpiciis Lechiæ, deducta triumphis;

Ut sua fortunæ recreet fastigia Princeps.
Talia, fama parat: sed postquàm nuncius, inter
Maxima, tot currit læti spectacula campi,
Teuthonios novisse choros, propiore trophæo;
Tunc instare faces, armorum Principis, inde
Viribus extendunt hilares, poscentibus unam,
Quam votis & voce colant, complexibus arctis
Quam stringant animi! Laurus, promittere ramos
Ingentes spondet, Phœbus, pariterq; nitere
Promittit radiis: fama at velocior astris
Rem votis loquitur, Maiestatemq; serenis
Plausibus accendit, clara & confinia Regni
Sarmatici cœtûs, digno munimine complet.
Princeps aurato decoratus vellere, famæ
Obviat, & Sponsam Maiorum more salutat.
Suscipiunt Lechiæ fines, urbesq; canendo
Adventum Sponsæ celebrant, pro Nomine gentis,
Ac Patriæ splendor, Sponsam splendore Ducali
Ducit in optatam, tantis cum plausibus urbem.
Cùmvè suos, Teutho diffunderet undiq; passus;
Ac urbem; camposve simul, dum cerneret, ultra
Surgit in occursum, Sponsæ provectus in agmen,
Maior Principibus, sociato Lumine Fratrum,
Principum ALEXANDRI, CONSTANTINIq; *sereno*
Undiq; conventu populi, splendore sub uno
Diffundens radios, ceû sol post sidera Princeps.
Sponsa suâ pariter pompâ præcincta nitebat
Purpureis formosa genis, cum lumine flammæ,
Quam pupilla oculi, nitidæ discrimine lucis
Umbra supercilii, pinxit; quæ munere mentis
Transgressa est Livias, veterum quoq; nomina clara,
Virgineo cultu, manibus vultuq; Dianæ;
Ore humerisq; Deæ similis; sed clarior inde
Prospicit è media turbâ, ceu luna nitore
Plena suo, felix splendoribus ELEONORÆ;
Imperii nexus quòd sit, quòd vita Sororq;

Sit Regum, & Reginarum, pariturǽq; Reges.
Assurgit, tardumq; cupit discedere solem
Mens hominum; iubar hoc ut cultu noscat utrumq;
Quod nitet immensis radiis, mirantibus astris.
Sic fuit illa dies claro sors æmula cœlo;
Quam fortuna suo solio, tunc fecit oriri;
Vt Populum tanto recrearet lumine Regum.
Nam raro similem plausum bona fata ministrant:
Et nisi proveniunt quædam præsagia læta,
Tunc; ubi certa salus bellorum murmure plena,
Viribus alternam quærit sub pace salutem.
Sicut enim, meliùs vivit sub sole nitente
Rerum congeries, meliorem gaudia messem
Asportant sicut, iunctis splendoribus orbis;
Sic hilares certum fortunæ sumimus omen,
Tot Regum thalami, & nexûs, sub lumine iuncto.
Tandem sic posito plausu, populoq; stupente,
Ingressûs tantam pompam, ac audire volente;
En Lechiæ Procerum Ductor, post vota Senatûs
Protinùs accessit, Sponsi quoq; Principis ore,
HEDVIGIM Sponsam, Patriâ dictante salutat.
Salve Neuburgi Proles, sors maxima mundi,
Sors Regum quæsita thronis, sors sole sub ipso
Atq; Dionæo cælato Nomine maior,
Dulce Decus gentis Palatinæ, sed decus omne
Flagrantis Lechiæ, meritorum portio digna!
Te Princeps Noster, plaudentibus undiq; votis,
Exspectat cordis Vitam, vitæq; coronam;
Gentibus ut Tecum, tanto sociatus amori,
Iura ferat, populumq; regat felicibus Armis.
Nam fervescentis seu læta gaudia mentis,
Et seriem plausûs, quem claro spiritus unus
Eloquitur sensu, de tanto sumimus omnes
Adventu, recreas Lechicæ quo Nomina terræ.
Te cuius mentem, splendorem cernimus oris,
Ac vultûs Maiestatem, quo munere linguæ

1088. *Nunc colimus, studio demum veneramur avito,*
Jam felix propera, tanta comitante caterva,
Principis in thalamum, cor Principis, vitaq; Princeps.
His dictis responsa parat de Nomine Sponsæ
Teuthonici catûs Præses, ac talia fatur.
Votis Invicti Regis, Regniq; IOANNIS,
Principis Invicti IACOBI, cordis amori,
Respondere volens Cæsar, pro munere gentis,
Mittit, tot Reginarum Augustæq; Sororem.
Quare, gemma Soli Lechici, Cor, Gloria mundi,
Europæ sors magna, stupor, maiorq; triumphe,
Bistonis & terror, sed gentis nostræ amor omnis
Princeps! augustam claro de Sangvine Sponsam
Sume Tuis thalamis, Regnorum summa voluptas!
Candidus interea, sumptis, exercitus armis
Inclinat robur, mentem, generosaq; pandit
Pectora, dissolvens, Lechici suspiria Regni.
Tunc populus læto, vocis cum robore plaudens,
Implet multorum fastos, ac gestibus omnem
Actûs præsentat pompam, superûmq; favore,
Felix circumstat, lento & movet undiq; passu.
Ostia se pandunt, Regniq; Palatia festis
Assurgunt votis, meliori ac lumine lucent
Sidera; nam miles, lauro myrtoq; canebat
Velatus; procerum splendor profundere campos
Incipit, & promissa Duci, sua vota perorat.
Quos etenim fausto, tot iam vertentibus annis
Parturiit fortuna sinu; his connubia pensat;
Atq; sacro celebrat votorum pignora cultu.
Optato Princeps assumit, vincula Scuto,
Corq; suum stringit, vitam complectitur unam,
Et decus & thalamum, Cor Maiestatis, in alto
Imperii positum, solio: transcendit amoris
Pignora, gratus amor: nam fasces gaudia rursus
Principis inclinant lætæ præcordia mentis.
O quæ Musa suis fibris, aut ecquis Apollo

Mate-

Materiem reserat fandi? cùi Spiritus impar
Est vatis, tantæ, fugiens, fastigia curæ?
Nam facili pennâ, fasces laudare minores
Possumus ingenio, cui mens, vox totaq; fama est:
Ast animos Regum, magnorum iuraq; nosse,
Illius est; condit vultu, qui fata superno.
Interpres populi læti, est nisi plausus amoris;
Gaudia, quæ veniunt animo deducta sereno;
Sunt claræ voces Patriæ; quibus omnia, dignis
Viribus, ac sensu votorum condimus ævo.
Ergo læta suum cultum nunc cura fatiget;
Conatus pariter, voces cum plausibus addat;
Queîs fortuna data est: magni, cum Sangvine nexûs,
Tantus amor causat, veterum tot vota trophæûm;
In laudis pompam, cùi sunt monumenta minora,
Quæ Babylon celebrat, sêu quæ miracula Nemphis
Exposuit famæ: cedunt quoq; protinùs omnes
Armorum vires, Trabeis his, ipsa potestas
Robur & imperii sparsum, constringit in unum.
Principis hoc Thalamo, quid enim sub cardine mundi
Altiùs assurgit? sêu quæ fastigia scandunt
Regnorum vires? seu quæ maiora, Gradivus
Culmina mensurat, vicibus post fata secundis?
Sangvinis hic nodus, Regali murice solvit;
Et ligat immensas acies, fert atq; salutem
Vnam, quam cupimus post tot certamina votis:
In quibus, optato pro censu, condita SCVTO,
Laudis festa damus Vobis, censumq; perennem.
Dulce Decus? Septeni Præsidiumque trionis!
Quid Princeps, IACOBE, Tuum, primumq; Gradivi
Censeat elato, Clypeum fervore potestas
Bellorum; quibus Invictum deprædicat ipse
Odrysius Geticusq; furor, Pontiq; Charybdis,
Armorumq; fragor, nostro cum milite virtus.
Prælia Te celebrant, Mavortia gesta sequuntur.
Qui vires Asiæ Thraciæ roburque stupendum

 Cladi-

Cladibus immensis, infra Te despicis, atque
Calcas bellorum passus, in Martis arena.
Imperii Lumen nostri, Cor Principis, Una
Ex Charitum numero, Gentis splendore vetustæ
Exortum Sidus! Lechiæ suspiria solvens!
Tu Superûm formam portas, speciemque Dearum:
Fortunâ superas: etenim Latonia virgo
Ex solo Iove nata soror; Tu Nata PHILIPPI
Tot Reginarum, censeris Gemma Sororum.
Orbis Te totus, Te claræ Teuthonis arces,
Ceu Dominam tantæ lucis cum teste seqvuntur;
Quæ roseæ mentis speciem, virtutis Ideam,
Deliciasque Tui vultûs, cêu lilia quædam,
In laudis, pretiique gradu posuêre supremo.
Teuthonici Martis munimen, origine Nino
Par alijs cedat votis: mihi sufficit una
Quam colimus, celso Regnorum murice dignam.
In qua, tot Regum magnæ compendia famæ
Noscimus, innumeris, belli decorata trophæis.
Tecum progreditur telluris portio prima,
Europæ splendor, totum dispersus in orbem;
Fulgur & Imperii, Latiæ quòd publica genti
Vota LEOPOLDI, iam concessere triumphis.
Iungite, nunc igitur, felicia Vincula Cordis,
O Geminæ mundi Gemmæ, duo sidera Lechi!
Vivite Regnorumq; Basis! quibus omnia cedunt
Munera fortunæ; Superûm, quibus ipsa potestas
Inclinata, feret meritis condigna trophæa.
Ostia Barbarici fastûs, ac colla reflexo
Pondere se pandent, vobis promissa, futuræ
Dicent iura fidem, famæ; semperq; secundis
Auspiciis Regum, tantorum gloria vivet.
Vobis sêcla parant Trabeas, fastosq; perennes,
Fasces, & Solium, ceu pignora iuris aviti,
Europæ fines, ut vasto cardine rerum
PRÆSIDIO AVGVSTI, firmetis SANGVINIS, orbem.